

1998-12-05 – SS Ioannes Paulus II – Constitutio ‘Camagueyensis’

**IOANNES PAULUS EPISCOPUS
SERVUS SERVORUM DEI
AD PERPETUAM REI MEMORIAM**

CONSTITUTIO APOSTOLICA***CAMAGUEYEN****

**IN CUBA NOVA PROVINCIA ECCLESIASTICA CONSTITUITUR
CAMAGUEYENSIS, CUIUS METROPOLITANA ECCLESIA
ERIT EADEM SEDES EIUSDEM NOMINIS**

Maiori spirituali Christifidelium suorum bono studentes consulere, Venerabiles Fratres sacrorum Antistites Provinciae Ecclesiasticae Sancti Iacobi in Cuba, audita Conferentia Episcoporum ipsius Nationis, ab hac Apostolica Sede unanimo consensu postulaverunt ut, detractis quibusdam territoriis a memorata Provincia, quae civium multitudine numeroque dioecesium suffraganeorum eminet, nova Provincia ecclesiastica constitueretur et simul dioecesis eiusdem nominis ad dignitatem archidioecesis eveheretur. Nos vero, prae habito faventi voto Venerabilis Fratris Beniamini Stella, Archiepiscopi titulo Midilensis et in eadem Natione Apostolici Nuntii, de consilio Congregationis pro Episcopis admotas preces excipiendas esse putavimus. Apostolica Nostra potestate, quae sequuntur decernimus. Camagueyensem episcopalem sedem, seiunctam a metropolitico iure Ecclesiae Sancti Iacobi in Cuba, ad gradum archiepiscopalis metropolitanae Ecclesiae evehimus, omnibus iuribus datis ad normam iuris communis. Nova Provincia ecclesiastica efformetur metropolitana Ecclesia eiusdem nominis ac dioecesibus Caeci Abulensis, Centumfocensi et Sanctae Clarae, hactenus ad Provinciam ecclesiasticam Sancti Iacobi in Cuba pertinentibus. Camagueyensem pro tempore sacrorum Antistitem archiepiscopali dignitate augemus et gradu Metropolitae insignimus. Cuius sedem nunc ipsum Episcopum, Venerabilem Fratrem Adolfum Rodríguez Herrera, ad archiepiscopalem dignitatem et gradum Metropolitae promovemus, cunctis tributis iuribus impositisque obligationibus. Ad haec perficienda deputamus Venerabilem Fratrem Beniaminum Stella, quem diximus, eidem tribuentes necessarias et opportunas facultates etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere imposito mittendi sincerum exemplar actus peractae executionis ad Congregationem pro Episcopis. Hanc denique Constitutionem Nostram iugiter ratam esse volumus, contrariis quibuslibet rebus non obstantibus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die quinta mensis Decembris, anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo octavo, Pontificatus Nostri vicesimo primo.

ANGELUS card. SODANO
Secretarius Status

LUCAS card. MOREIRA NEVES
Congr. pro Episcopis Praef.

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*
Marcellus Rossetti, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. XCI (1998), n. 4, pp. 329-330